

In conclusione Christum ponit, per quem facti & iterum reformati sumus gratia eius, ut meritis nostris heret, quia si beneficiorum eius memores sumus, semper nos tenebitur, sicut dixit: Ecce, inquit, ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

Matth. 28

D. AMBROSIUS

SII EPISCOPI MEDIOLAN. COMMENTARIUM IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD CORINTHI

PRIMAM.

PRÆFATIO.



Recepto domini admonitus Apostolus presedit apud Corinthios annum unum & menses sex, docens inter eos uerbum dei: Hinc est unde magna cum fiducia & charitatis affectu agit cum eis, aliquando comonens, aliquando arguens, aliquando blandiens ut filiis. Nam multe cause sunt propter quas scribit ad eos. Quarum prima hæc est, quod more hæreticorum dissentientes ab inuicem, hominibus deuoti, Pauliani & Petriani & Apolloniaci dici uolebant non Christiani, quod ualde exprobrat Apostolus. Erant tamen inter eos qui ab his dissentirent, Christo soli dicati. Secunda hæc est, quia eloquia delectari ceperant & terrena philosophia, ut sub nomine Christi his imbuerentur quæ contraria sunt fidei. Tertia, eo quod inflati essent quod non iret ad illos Apostolus. Quarta, propter fornicatorem fratrem quem inter se esse patiebantur. Quinta, ut commoneret de præterita epistola, quam ante hanc quæ prima dicitur scripserat. Sexta, quia inuicem sibi iniurias & fraudes faciebant, & infidelium potius examina requirebant. Septima causa est, in quo designat licere sibi sumptus accipere, sed con-

temerere,